



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

5. Quænam qualitates intendi possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

supposita quacumque determinata intensione, addi possit ulterius gradus, & sic intendi qualitas.

Respondeo negando sequelam: cuius ratio patebit ex dicendis quaestione sexta.

Obiicies sexto, si poneretur qualitas extensa ut duo, & alia intensa ut duo, extra subiectum, una non esset altera perfectio secundum nos: sed hoc est absurdum: ergo.

Respondeo concedendo sequelam: nisi quatenus qualitas intensa haberet partes suas magis intime unitas, sic scilicet, ut possit poni in eadem parte indivisibiliter: nec est necessarium ut alio modo sit perfectior.

Obiicies septimo, non potest in nostra sententia dari ratio, cur primus gradus prius produceretur in intensione quam secundus: sed hoc est inconueniens.

Respondeo negando sequelam: nam determinatio illa potest, & debet provenire à Domino Deo, sicut in sententia aduersariorum ab eo provenit determinatio ad unum individuum præ alio, & ad unum gradum secundum heterogeneum, potius quam ad alium gradum secundum ex infinitis, qui produci possunt.

QVÆSTIO V.

Quenam qualitates intendi possint.

Doctrina
Comple-
tensiam.

47 *Complutenses hic q. 6. ex Dno Thoma* duo genera qualitatum proponunt, unum earum quæ ex natura sua habent suas species, & non per ordinem ad aliquid extrinsecum, ut calor, & frigus, ac similia; aliud earum quæ recipiunt speciem ex aliquo extrinseco, ad quod ordinatur, ut habitus Philosophiæ, Geometriæ, &c. Dicunt ergo qualitates posterioris generis non posse intendi aut remitti quoad suam formam aut essentiam, priores vero posse; quæ doctrina fortassis connexionem habet cum aia Thomistarum, nempe, quod idem indivisibilis habitus scientiæ possit inclinare ad varias conclusiones, & obiecta.

Impug-
natur
primo.

Verum hæc doctrina nullo modo placet, non solum ob connexionem ipsius cum illa aia, quæ falsam esse in Logica ostensum est, sed ulterius primo, quia si loquamur de specificatione intrinseca, omnes qualitates habent intrinsecam sibi suam differentiam specificam; nec in hoc est vlla disparitas inter vllas qualitates, & alias formas. Si vere loquamur de specificatione extrinseca, certum est albedinem & nigredinem specificari ab intrinseco non minus, quam scientiæ, aut habitus: sicut enim ex diversis obiectis cognoscimus diversitatem actuum, & ex diversis actibus diversitatem habituum, & propterea obiectum dicitur specificationem extrinsecam actuum ac habituum, & hæc dicuntur propterea specificari ab obiecto tanquam ab intrinseco; & habere respectum aptitudinalem ad illud ita etiam ex diversis immutationibus, seu sensationibus, quas causant albedo & nigredo in oculo nostro, cognoscimus illa distinguere specie inter se, & consequenter habent pro specificatione extrinseca illas sensationes, & dicunt respectum aptitudinalem ad illas. Unde patet, quod ex hoc capite non possit colligi, quin eodem modo qualitates utriusque generis præmissi possint intendi ac remitti.

Omnes
qualita-
tes spe-
cifican-
tur ab
intrinse-
co.

Nec tollitur hæc difficultas per responsum Complutensium, quam ex D. Thoma assignant n. 70 dicentes, ex ignorantia nostra oriri, quod albedinem, & similes qualitates describamus per ordinem ab obiecta, quia non cognoscimus earum differentias.

Contra enim hoc est, quod eodem modo possemus dicere, ex ignorantia nostra oriri, quod diffiniamus actus & habitus per ordinem ad obiecta, quia non cognoscimus eorum differentias.

Impug-
natur
secundo.

Secundo contra eandem doctrinam facit, quod quando dicitur, quod in qualitatibus specificatis ab extrinseco reperiri possit sua propria intensio, & remissio, ex eo quod variabiliter illud respiciunt, vel intelligunt hoc de intensione quæ sit per additionem gradus ad gradum; vel ut ipsi dicunt per maiorem radicationem in subiecto: & talis intensio competit aliis qualitatibus illis quæ secundum ipsos

non specificantur ab extrinseco, & sic male discriminarer eas qualitates quantum ad intensiorem. Vel intelligunt de alia intensione, & omnino falsum est absque additione graduum aut maiori radicatione intendi illas qualitates, quas ipsi putant specificari ab intrinseco.

Præterea quando dicunt quod variabiliter respiciunt tales qualitates illud intrinsecum, si intelligunt per hoc quod possint magis vel minus perfecte illud attingere propter intensiorem, & remissionem, cuius sunt capaces, idem dicendum est de alijs qualitatibus; nec his aut illis competere potest absque gradu additione aut maiori radicatione. Si vero intelligunt quod illa ipsa qualitas, quæ recipit illud obiectum extrinsecum, potest illa obiecta plura, vel pauciora attingere absque additione vllius entitatis (scilicet distinctæ), omnino falsum est quod possit sic variabiliter ipsum respicere, ut patet ex dictis in Logica.

Plura alia circa hanc difficultatem congerunt hi auctores, quæ facile esset impugnare, si tanti interesset.

Reiecta ergo hæc sententia, difficultas præsentis quaestionis consistit in hoc, an quemadmodum vnus calor non dicitur intensior altero, nisi ex eo, quod habeat plures gradus aut partes reæ inter distinctas, eodem modo quilibet alia qualitas, quæ dicitur intensior altera eiusdem rationis quantum ad omnia præter differentiam intensiorem, habeat esse intensior ob pluralitatem graduum; & si sint vllæ qualitates, quæ absque pluralitate graduum intensiores dicuntur, quanam illæ sint: in quo sensu vix examinatur hæc quaestio ab auctoribus, quamvis non sit tam facilis solutio.

CONCLUSIO I.

49 *Omnia qualitas materialis non intentionalis*, quæ altera eiusdem rationis dicitur intensior, habet hoc quod ex pluralitate graduum & consequenter est capax intensiōnis, ac remissionis proprie dictæ. Hæc est communis, & intentione probatur, quia calor & albedo habeat intensiorem ex pluralitate graduum, ut patet ex dictis: sed eadem ratio est de ipsis, ac de quibuscumque alijs non intentionalibus: ergo.

Dices potentia naturalis est qualitas non intentionalis, & tamen non augetur per gradus distinctos.

Respondeo: si loquamur de potentia naturali, quæ est de prædicamento qualitatis, negando minorem; si vero loquamur de potentia naturali, qualis est intellectus & voluntas & similia, negando maiorem; indifferenter enim ipsimet substantiæ.

CONCLUSIO II.

40 *Habitus omnes acquisiti per actus intenduntur per additionem graduum ad gradum*. Hæc est etiam communis, per actus probatur quia est eadem ratio de ipsis, ac de alijs intentionalibus, de quibus in præcedenti conclusione.

Confirmatur, tum quia quando augetur habitus, manet habitus prius acquisitus, etiam quando producit augmentum eius: tum etiam experientia, quæ constat quod si quis eliceret actum ut duo primo, non haberet tam intensum habitum quam si eliceret primo actum ut unum, & postea actum ut duo: ergo signum est quod totus habitus, qui manet post duos illos actus, non sit productus ab vilo ex illis, & consequenter quod pars illius sit producta ab vno & altera ab altero: tum denique quia habitus acquisitus concurrens vel effectiue, vel formaliter cum potentia ad actum sequentem quo intenditur habitus: ergo debet esse in illo instanti, in quo est illi actus: sed in illo ipso instanti debet esse aliquid habituale acquisitum per actum: ergo habitus totalis, constat pluribus gradibus.

CONCLV

CONCLUSIO III.

*Actus vi-
tales &
species
impressæ
non inten-
duntur
per gra-
das.*

51 Probabilis est quod actus potentiarum vitalium non intenduntur per plures partes, verbi gratia, visio albedinis, quæ altera visione eiusdem albedinis intensior est, non habeat hoc ex pluribus partibus, quarum qualibet esset visio: & idem dicendum est de speciebus impressis. Hæc est contra communiorē sententiam, quæ oppositum videtur supponere.

Probatur prima pars, quia non est eadem ratio de his actibus, ac de aliis qualitatibus, de quibus in præcedenti conclusione: ergo quamvis illæ intenduntur per plures gradus seu partes realiter distinctas, idem non est dicendum de his. Probatur antecedens, quia quando potentia minus intensum actum circa obiectum, & postea magis intensum, ut quando quis à longe videt album imperfectius, & postea accedens impius, videt illum perfectius, non constat quod actus ille, quem primo habuit permaneat, sed potius constat, oppositum; sed in aliis qualitatibus prædictis quando subiectum habet magis intensam qualitatem post minus intensam, constat manere qualitatem quæ priuserat: ergo non est eadem ratio de illis, ac de actibus.

Probatur minor quoad primam partem, quia non potest ostendi vlla ratione aut experientia quod maneat.

Probatur eadem maior quoad secundam partem, quia si maneret actus primo habitus, quando habetur actus perfectior seu intensior, deserviret vel in ordine ad constituendum illum secundum actum, vel tanquam dispositio, aut conditio sine qua non actus ille, qui est perfectior, haberet illam perfectionem: sed constat experientia hoc esse falsum: quia si quis primo poneretur in illa distantia, in qua habet perfectiorem actum, non præcederet ille actus imperfectior, & haberetur ille actus perfectior in eadem omnino perfectione, ergo constat non manere priorem actum.

*Probatio
clarior.*

52 Confirmatur primo, quia omnino superflue maneret ille primus actus, & absque vlla prorsus utilitate: ergo non est dicendum quod maneat. Ex his potest formari ratio pro conclusione clarius hoc modo: si intensio actus habere ut per plurimam graduum qui adderentur sibi iugiter, quando post actum minus intensum succederet magis intensus, maneret actus ille qui est minus intensus, sicut contingit in aliis qualitatibus, quæ intenduntur: sed hoc est falsum, ut patet ex iam dictis, & quia ille ipse causa, quæ applicatur quando habetur actus ille magis intensus, sufficienter possunt totum illum producere cum omni perfectione, quam habet: ergo non est dicendum quod maneat actus præcedens.

Probatur conclusio quoad secundam partem, quia eadem prorsus est ratio de speciebus huiusmodi ac de actibus: nam de speciebus eadem argumenta formari possunt, ut patet: ergo.

53 Obicitur: non posset intelligi quomodo actus esset perfectior intensius, aut species, nisi haberent plures gradus: ergo debent habere tales gradus.

Respondetur negando antecedens, quia secundum sententiam communem possent habere inæqualitatem perfectionis individualis, sicut duo individua substantia: & hoc sufficeret ad hoc quod vna diceretur intensior altera, non quidem tam proprie quam calor dicitur intensior, quia intensio proprie loquendo importat pluralitatem partium, aut maiorem radicationem eiusdem formæ, quod tamen spectat ad quæstionem de nomine.

Deinde si hæc sententia non esset vera, posset habere distinctionem specificam, & sic vna altera perfectior esset, atque adeo posset dici intensior. Quamvis enim non sufficiat maior perfectio individualis, aut essentialis, ad hoc ut quodcumque vnum diceretur altero perfectius, quia alias vnus homo posset dici magis homo, aut magis, intensus homo quam alter, quod est absurdum, tamen id sufficeret in qualitatibus respicientibus eadem principia & obiecta absque vlla variatione, præter variationem illam maioris perfectionis.

Dices, visio magis intensiva albedinis non dicitur esse diversæ speciei à visione minus perfectæ: ergo maior inten-

sio non potest provenire à diversitate specifica.

Respondetur, id quidem non dici, vel quia supponitur communiter quod non sint distinctæ speciei, quod tamen suppositum non probatur, vel quia consideratur natura visionum penes obiectum, & certos effectus, excepta maiori illa perfectione, & ut sic consideratur, cerum est quod non sint diversæ speciei: sed hinc non sequitur quin reuera sint diversæ speciei.

54 Obicitur secundo: sequeretur, quod intensio fieret eo modo quo docuit Godfredus & Durandus, per destructionem prioris formæ, & productionem novæ formæ. Sed hoc est contra dicta in quæstione quarta supra, ubi impugnata est illa sententia: ergo hæc conclusio adueriatur illi resolutioni.

Respondetur distinguendo sequelam maioris: omnis intensio cuiuscumque formæ, nego: intensio à quarum formarum, transeat; nec id est contra conclusionem illam, in qua tantum asseritur, quod intensio ut sic non ita fiat; de illa enim ibi loquebamur.

Adde, re vera non dici proprie loquendo, quod intendatur visio iuxta hanc nostram sententiam, quia adhuc visio minus intensiva deberet reddi secundum se magis intensiva, quod non est verum in nostra sententia, quandoquidem secundum eam visio imperfectior, ac minus intensiva non maneat producta perfectior.

55 Obicitur tertio: non potest assignari causa, à qua destrueretur visio præcedens, ergo debet manere, & consequenter falsum est fundamentum nostrum.

Confirmatur, quia species intelligibilis imperfectior, quæ prius producit, non deperditur acquisita perfectione: ergo.

Respondetur negando antecedens, nam causa cur destruitur est, quia dependeret ab obiecto taliter applicato, unde quando non applicatur sic, desinere debet visio.

Ad confirmationem respondeo primo, fortassis antecedens non esse verum: sed eo supposito, de quo in libris de anima, nego fundamentum nostrum esse falsum; neque enim fundamentum consistebat in hoc præcise, quod non maneret forma imperfectior præcedens formam perfectiorem, sed quod non maneret necessario in ordine ad producendam formam illam perfectiorem, quæ perinde produceretur, quamvis non maneret illa; unde permanentia eius est omnino impertinens ad propositum. Deinde certum videtur, non permanere actus imperfectiores præcedentes, nec species impressas visivas: unde saltem hæc nequeunt intendi per additionem partis ad partem: at eadem prorsus est ratio de his, & speciebus impressis intelligibilibus, & internis quantum ad hoc.

QVÆSTIO VI.

Utrum qualitates habeant terminum suæ intensivæ.

56 Sensus quæstionis est, an qualitates naturæ suæ peccant terminum intrinsecum suæ intensivæ, ita ut vltra determinatum gradum, verbi gratia octavum, vel decimum, non possint ulterius intendi, vel remitti: an vero quemadmodum quoad extensionem non petunt determinatum gradum, quin ulterius in infinitum possint extendi quantum est ex se, & etiam diminui; ita etiam dicendum sit de intensivæ.

Prima sententia est, quod quilibet qualitas intensiva habeat terminum intrinsecum suæ intensivæ versus magnitudinem, ita ut eo habito non possit nec naturaliter, nec supernaturaliter intendi magis. Hæc tribuitur Scoto ex eo quod in 3. d. 13. teneat gratiam Christi fuisse summam possibilem, & eam videntur sequi in hoc sensu omnes Scotistæ.

Secunda sententia est, qualitatem quamlibet habere statum naturaliter, non vero supernaturaliter. Ita Ruusius Averis, & recentiores cum Thomistis communiter.

CONCLUSIO I.

57 De facto qualibet qualitas habet determinatum terminum intensivæ quoad magnitudinem naturaliter loquendo. Hæc est communis cum utraque sententia.

K K K